præparet se ad Coïonem sacram: oēs quippe eodem die, quo emiserint professionem in Conventuali Sacro maiori, etiam privatis diebus, præmissa confessione, coïcare tenentur.

7. Deniq. ab illa die qua quis petitionem fecit in Caplo Monachorum et receptus est in professionem Conversorum, in Ordine nostro Monachus nunquam fiet, sed sufficiet illi vocatio sua, qua vocatus est semel à Deo.

De Vniformitate Conuersorum in Vigiliis, horis et Officiis diuinis Caput. III.

1. Vt vbiq. in moribus Laicorum Fratrum, vniformis devotio et ordo servetur, postquam per campanam excitati fuerint, quod fiet privatis diebus hora 4a mane, oēs in vnum convenient locum, ibiq. omnes suas iuxta Ordis consuetudinem, in Ordine descriptam, per spatium dimidiæ horæ absolvent.

2. Post Vigilias et Laudes vacabunt à media 5a usq. ad ipsam 5am semper meditationibus, nisi per obedientiam ab hoc pio exercitio retardentur. Quod si factum fuerit, non tamen negligent; tam orationes quam meditationem tempore opportuno supplere, et Domino Deo pensum fideliter suæ reddere servitutis

3. Post peractam meditationem oēs ibunt ad opera sua consueta, nec ad reliquas orationes officij sui absolvendas ad Oratorium suum revertantur, sed ubi signum post Caplum Monachorum datum fuerit, mox oēs ad audiendam Missam (quam singulis diebus audire debent) vel Sacerdotibus ministrandum festinent, et ibidem modo quo possunt horas diei restantes absolvent. Nullus extra hoc tempus sine licentia Magri audiat Sacrum. Vesperas privatis diebus, sub cœna Frum Conventualium dicant. In quadragesima verò sub prandio eorundem, et hoc in suo Oratorio. Completorium autem antequam inchoetur Salve Regina

4. Dnicis et festis diebus, quibus non laborant, tam hyeme quam æstate, ad Vigilias quando Monachi surgunt, surgere teneantur. Iisdemq. diebus hora 6a ad meditationem se conferent, media verò 7a dabitur signum ad Caplum et deinde 3æ et magno Sacro, Vesperis et Completorio Monachorum intererunt.

S. Si fes-

439

7. Denique Magister Conversorum et Professus tales se exhibeant, ut de prudentia et attentione eorum possint omnes aedificari.

De receptione et Professione Conversorum. Cap. II.

1. In Conversum nullus si ita fieri potest recipiatur, nisi sit eiusmodi, qui possit laborem omnis mercenarij compensare. Talis igitur ad Conversionem veniens primo in Capitulo Monachorum, ducente illum Magistro Conversorum coram omnibus humiliter prostratus, petat se recipi pro humillimo omnium servo, et deinde idem faciat in Capitulo, qui ob hanc causam possunt quolibet die convocari.

2. Conversus futurus si pannos sibi emere potuerit, tales emat, quales habere consuetum est. Mantellum verò ante professionem non habeat; antequam ei detur illi habitus probationis, exercitia spiritualia faciat, et deinde in habitu Ordinis prius à Magistro Conversorum benedicto, rigidè per annum probetur.

3. Probandus omnia imperata prompte et alacri animo propter Deum, cuius gratia ad Monasterium venit, et à quo mercedem se recepturum sperat, sedulo peragere et fideliter exequi satagat. et ut hoc commodius fieri possit Professus Conversorum in moribus eum instruat, et quae Ordinis sunt doceat.

4. Si contingat aliquem in Sacris Ordinibus constitutum Praeside et Conventu ignorantibus fieri Conversum, quamprimum de eo constiterit mox eijciatur.

5. Anno probationis absoluto Conversus Novitius post peracta Exercitia et generalem Confessionem, veniat in Capitulum Monachorum, ubi prostratus veniam petat, et surgens ad imperium Abbatis vel Praesidis, cum spoponderit de stabilitate sua, et de abdicatione proprietatis, de Obedientia et Castitate, dicat Abbas vel Praeses, Det tibi Deus perseverantiam, et respondeant omnes Amen. Professionem autem faciat secundum Ordinem et maiorum nostrorum institutionem hoc modo. Ibit ad Sacristiam, ibique flectet genua, donec veniat Abbas, quo veniente et denuo eum adhortante, iunget manus suas, ponatque inter manus Abbatis, promittendo ei obedientiam hisce verbis. Ego F. N. promitto vobis R. P. obedientiam in omni bono usque ad mortem. Respondente Abbate, Det tibi Deus vitam aeternam. et dicto ab aliquot circumstantibus, Senioribus et Monachis Amen: induat eum Abbas mantello ante ab ipso benedicto.

6. Conversus facta professione et ab Abbate indutus, exiens è Sacristia

prostra-